



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Alimentatio & Via Alimentandi. Historia. Ad Artic. 4.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

11. *Animalia*, quorum Carnes sunt paulo atiores, longioris sunt vitæ, quam quæ Carnibus sunt candidis; Indicat enim Succum Corporis, magis firmum, & minus dissipabilem.

12. *In omni Corruptibili*, Quantitas ipsa multum facit ad *Conservationem Integri*: Etenim Jgnis magnus longiore tempore extinguitur; A qua Portio parva citius evaporat, Truncus non tam cito arefcit, quam *Vimen*: Itaque generaliter (in Speciebus dico, non in Individuis) quæ Mole grandiora sunt *Animalia*, paulis sunt longiora: nisi aliqua alia Causa potens Rem impediatur.

ALIMENTATIO

& Via Alimentandi.

Historia.

Ad Artic. 4.

1. **A**limentum erga Alimentatum debet esse *Natura inferioris*, & simplicioris *Substantia*: Plantæ ex Terra & Aqua nutriuntur; *Animalia* ex Plantis; *Homines* ex *Animalibus*: Sunt & *Animalia Carnivora*, atque *Homo* ipse Plantas sumit in parte *Alimenti*: *Homo* vero, & *Carnivora Animalia*, ex Plantis solis agere nutriuntur; possunt fortasse ex *Fruibus*, & *Seminibus* *Ignis* coctis, multo usu nutrirî, sed *Folius Plantarum*, aut *Herbarum*, minime, ut *Ordo Foliatanorum Experimento* comprobavit.

2. *At nimia Proximitas*, aut *Consubstantialis* *Alimenti* erga *Alimentatum*, non succedit: Etenim *Animalia*, quæ *Herbis* vescuntur, *Carnes* non tangunt: Etiam ex *Carnivoris Animalibus*, pauca *Carnes* propriae *Speciei* sapiunt: *Homines* vero, qui *Anthropophagi* fuerunt, ordinario tamen *Humanis Carnibus* non vescuntur; sed aut ex *Vitæ* in *Inimicos*, aut *pravis Consuetudinibus* in illud desiderium lapsi sunt: At *Arvum*, *Grano* ex ipso proveniente, feliciter non feritur: neque in *Institutione*, *Surculus* aut *Virgultum*, in proprium *Truncum* immitti solet.

3. Quo *Alimentum* melius est preparatum, & paulo propius accedit ad *Substantiam* *Alimentati*, eo *Plantæ* feraciores sunt, & *Animalia* *Habitu* sunt pinguiora: Neque enim *Virgultum* aut *Surculus*, in *Terram* immisus, tam bene pascitur, quam si idem immittatur in *Truncum*, cum *natura sua* bene consentientem, ubi invenit *Alimentum* digestum, & preparatum: Neque etiam (ut tradunt) *Semen Cerae*, aut *similium*, in *Terram* immisum, tam magnam producit *Plantam*, quam si *Semen* in *aliam Cepam* indatur, *Institutione* quadam in *Radicem*, & *Subterranea*: Quinetiam nuper inventum est, *Virgulta Arborum Sylvestrium* veluti *Vlmi*, *Quercus*, *Fraxim*, & *similium*, in *Truncos* inserta, longe majora proferre *Folia*, quam qua *sua Institutione* proveniunt: Etiam *Homines Carnibus crudis*, non tam bene pascuntur, quam *Ignem* passis.

4. *Animalia* per *Os* nutriuntur: *Plantæ* per *Radices*: *Fœtus Animalium* Vero per *Vmbilicum*: *Aves*, ad parum temporis, ex *Vi-*

telis *Ovorum suorum*: quorum nonnulla pars, etiam postquam exclusæ sunt, in *gulis earum* invenitur.

5. *Omne Alimentum* movet maxime à *Centro* ad *Circumferentiam*, sive ab *Intra* ad *Extra*: *Atamen* notandum est, *Arbores* & *Plantas* potius per *Cortices*, & *Extima*, quam per *Medullas*, & *Intima*, nutrirî: Etenim si *circumcirca* decorticata fuerint, licet ad *Spacium parvum*, non vivunt amplius: Atque *Sanguis* in *Venis Animalium*, non minus *Carnes* sub illis sitas nutrit, quam *supra illas*.

6. In *omni Alimentatione* duplex est *Actio*, *Extrusio*, & *Attractio*: *Quarum* prima à *Punctione interiori*, altera ab *exteriore* procedit.

7. *Vegetabilia* assimilant *Alimenta sua* simpliciter, absque *Excretionem*: Etenim *Gummi*, & *Lachrymæ* potius *Exuberantia*, quam *Excretionem* sunt: *Tuberes* autem *Morbi* potius: At *Animalium* *Substantia* magis sui similis est *perceptiva*; Itaque cum *Faustio* conjuncta est, & *inutilia* rejicit, *Vitilia* assimilant.

8. Mirum est de *Pediculis Fructuum*: quod omne *Alimentum*, quod tanto quandoque producit *Fructus*, per tam angustam *Collulam* transire cogitur: *Fructus* enim nunquam *Trunco* inhaeret absque *Pediculo* aliquo.

9. Notandum *Semina Animalium* *Nutritionem* non excipere, nisi *recentia*: At *Semina Plantarum* manent *alimentabilia* ad longum *Tempus*: *Atamen* *Virgulta* non germinant, nisi indantur *recentia*: neque *Radices* ipsa longius vegetant, nisi sint *Terra* cooperta.

10. In *Animalibus* *Gratus* sunt *Nutrimenti* pro *Etate*: *Fœtus* in *utero* sufficit *Succus maternus*: à *Nativitate* *Lac*: postea *Cibi*, & *Potus*: Atque sub *Senectute* *crassiores* ferè *Cibi*, & *sapidiore* placent.

[Mandatum.] *Præcipue* omnium ad *Inquisitionem* præsentem facit, diligenter, & attente indagare: utrum non possit fieri *Nutritio* ab *extra*, aut saltem non per *Os*? Certè *Balnea* ex *Lacte* exhibentur in *Marasms*, & *Emaciationibus*: neque defunt ex *Medicis*, qui existimant *Alimentationem* nonnullam fieri posse per *Chysteria*: omnino huic rei incumbendum: si enim *Nutritio* fieri possit, aut per *Extra*, aut alias quam per *Stomachum*, tum verò *Debilis* *Concoctionis*, quæ ingruit in *Senibus*, illis auxiliis compensari possit, & tanquam in *Integrum* restitui.

LONGEVITAS

& Brevitas vitæ in Homine.

HISTORIA.

Ad Artic. 5. 6. 7. 8. 9. & 11.

1. **A**ntè *Diluvium*, plura *Centenaria Annorum* vixisse *Homines*, refert *sacra Scriptura*: Nemo tamen *Patrum* *millesimum Annum* complevit. Neque hæc *Vita Diuturnitas*, *Grætiæ* aut *Linæ Sanctæ*, attribui possit: cum *recenteantur*, ante *Diluvium*, *Patrum Generationes undecim*: at *Filiorum Adami* per *Cain* tantum *Genera-*